





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesiae.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA

17, 17

EX EPISTOLA

PAULI AD ROMANOS,

proponens ἀνάλυσις capitis de-
cimi quinti.

*Cujus positiones divina adjuvan-
te gratia*

PRÆSIDE DAVIDE

RVNGIO SACRÆ THEO-

logia Doctore & in Academia VVitebergensi

Professore, in Collegio disputationum

Theologicarum privato defendet

3 Septemb.

M. CHRISTOPHORUS ZECHERUS,
Norimbergensis.



VVITEBERGAE,

Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.



AMPLISSIMIS, PIE-
TATE VERA, NOBILITATE,
PRUDENTIA PLURIMOQ; RERUM
maximarum usu præstantissimis viris, D. D. C A-
MERA RIIS, cæterisq; inclutæ RATISBO-
NENSIS REIPUBLICÆ SENATORIBVS ET
PROCERIBVS vigilantissimis, dignissimis, Eccle-
siæ Christi Augustanam Confessionem amplectentis
nutritiis devotis : Dominis patriâ sanctitate perpe-
tuò colendis diligendisq; meritorum erga
se magnitudinem recolentis grati animi
pignus, hæc *ἑτάματα* piè consecra-
vit atq; donavit

Respondens.



CAPVT XV.



*Huius capituli initio concludit Apostolus tra-
ctationem præcedenti capite institutam,
de tolerandis infirmis fratribus, additis in-
super aliquot rationibus: Deinde, de scri-
ptionis suæ scopo & ratione differit: De-
niq; de itineribus suis quædam subiicit suumq; adventum Ro-
manis pollicetur, eorumq; precibus se iudari petit.*

Primæ partis ἀνάλυσις.

Ulteriore exhortationem de tolerandis infirmis exorsus
Apostolus propositionem ipsam perspicuis verbis repetit: De-
bemus inquit nos firmiores infirmiorum sustinere imbecillitates; Qui-
nam dicantur infirmi & quæ ἀδενήματα hoc loco intelligantur,
dictum est capite præcedenti. Non enim de hæreticis vel alijs
in doctrina dissentientibus, non de manifestè impijs loquitur,
sed de hominibus pijs, qui nondum plenè intelligunt doctrinam
de libertate Christiana. Additur Expositio verbi βασίζεν à con-
trario: videlicet ἑαυτοῖς ἀρέσκεν. Qui sibi placent in scientia,
sunt insolentes, & alios præ se contemnunt: Quare si infirmos
fratres ferre velimus necesse est, ut non nobis ipsis placeamus.
Inest autem verbis hisce simul primi argumenti vis: Toleran-
tia illa infirmorum est debita. Ergo non est arbitraria. *Secunda*
ratio v. 2. Vniusquisq; nostrum proximo suo placeat ad bo-
num & ædificationem: Christiani in omnibus debent servire
Ecclesiæ ædificationi & incremento: Hoc autem consequentur,
si non sibi ipsis, sed proximo suo placeant. Limitatio huius to-
lerantiæ notanda est, quod videlicet, non quæ vis Deo grata
fit, sed ea tantum, quæ ad bonum & ædificationem facit. Nam
in proposito peccandi non sunt ferendi Christiani, sed grauius
castigandi: Tertia ratio ducta est ab exemplo Christi cuius imi-
tatores esse debent omnes Christiani: Is autem non sibi placuit,
sed ad miseras nostras & opprobria ferenda fuit natus. Confir-

*Infirmi
qui.*

*sibi pla-
cere.*

*Toleran-
tia alia
laudabi-
lis, alia
non.*



Christus ignominiam nostram tulit. mat hanc rationem, primò allegatione loci Prophetici ex Psal. 69. v. 10. Deinde generali axioma, quo vniuersæ scripturæ utilitatem in Ecclesia designat, quod videlicet non tantum aliqua, sed omnia quæcunq; scriptasunt, faciant ad nos docendos, consolandos & in spe confirmandos. *Quarta ratio* à causis finalibus v. 6. Mutua illa tolerantia facit ad concordiam & ad Dei honorem ac celebrationem. Ergo modis omnibus Christiano homini est sectanda. Hanc primo amplificat voto v. 5. orans ut Deus patientiæ & solatiij per Christum Iesum det Romanis τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις. Deinde concludit eandem v. 7. repetens simul exemplum Christi, de quo paulò ante dixerat. *Quinta ratio* est à pari, cuius summa est: Eadem est Iudæorum & Gentium in Christo Iesu conditio: Ergo Christiani ex vtriusq; conuersi se invicem tolerant, ament & in pace mutua vivant.

Iudæorū & gentium in Christo nulla est distinctio Gal. 3. Eph. 2. Hæc conclusio extat v. 13. amplificata voto. Antecedens duobus distinctis membris tractatur; *Primò* quidem Iudæorum in Christo conditio explicatur, quòd videlicet Christus sit minister factus circumcisionis hoc est circumcisi populi, idq; propter veritatem Dei, ut adimpleret promissiones à Deo Iudæis factas. Etsi enim Christus mediator est omnium hominum, & toti mundo datus; Tamen ratione specialis officij sui ministerialis, quod docendo & miracula faciendo adimplevit, circumciso populo principaliter inservivit: Quare non decet gentes, ut Iudaicum populum tantis honoribus à Christo ornatum præ se contemnant.

Christus Iudæorū minister. *Secundò* de gentium in Christo conditione agens, dicit, eas in misericordia honorare Deum, hoc est, ex singulari Dei bonitate & gratia vocatas esse ad societatem Ecclesiæ & à Deo acceptatas: Ac proinde non debere eas à Iudæis contemni, Antecedens probat aliquot scripturæ sacre testimonijs, ex Psalm. 18. & 117. Et Esa. cap. 45. quorum summa est, Deum non tantum à Iudæis sed etiam à Gentibus honorari & his quoq; Christum Mediatorem Patre datum esse. Deniq; v. 13. concluditur potestremi huius argumenti, & totius primæ partis tractatio Voto, ut Deus spei repleat Romanos omni gaudio & pace in fide ut abundant in spe & virtute spiritus sancti.

Gentium vocatio à Prophetis quæ distat. Hæc primæ partis est ἀνάλοσις, ex qua prætermisissis reliquis doctrinæ locis unicum caput de scripturæ sacre Utilitate hac vice breviter considerabimus.

De.

De Sacra Scriptura Utilitate.

I.

Quia Apostolus hoc textu inquit: Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, considerata nobis venit scripturae sacrae utilitas, de qua brevissime tantum summa rerum capita perstringemus, integra & proluxa huius loci tractatio aliunde petatur.

II.

Loquitur Apostolus de utilitate scripturae non cuiuslibet, sed eius, quam à Prophetis, Apostolis aut alijs viris divina autoritate commendatis profectam esse constat, quam vulgo propter Spiritum S. autorem & propter argumentum quod in ea tractatur, *Sacram* appellamus.

III.

Eius, vero utilitas luculenter hoc textu expressa est ab Apostolo & in certas partes distributa, quas clarius recenset idem in 2. Tim. 3. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad *διδασκαλίαν, ἐλεγχον, ἐπανάρθωσιν καὶ παιδείαν ἐν δικαιοσύνῃ.* His ex textu praesenti addatur: *παράκλησις,* & succinctam habiturus es omnium Scripturae utilitatum *σύνοψιν.*

IV.

Ex hac commemoratione utilitatum scripturae hae quaestiones Theologicae exurgunt: 1. An omnis sacrorum dogmatum *διδασκαλία* scriptura contineatur, ita ut nullum in Ecclesia sit ferendum dogma, quod non scripturae autoritate tractatur. 2. An ea sit scripturae perspicuitas, ut Lectorem de summa Christianae doctrinae informare possit. 3. An interpretatio scripturae ad *διδασκαλίαν* sacram sit necessaria. 4. An omnia quo ad rectam pie sancteque vivendi rationem pertinent scriptura complectatur. 5. An vllum dogma ferendum sit in Ecclesia, quod veram Evangelij consolationem, patientiam & spem evertit. De his ordine & breviter pauca dicturi sumus.

*Omnia
dogmata
fidei con-
tinentur in
scriptura.*

V.
Quod igitur attinet quæstionem primam contra Roma-
næ Synagogæ decreta constanter asserimus: Sacras literas con-
tinere omnia quæ ad salutem nostram sunt necessaria, sive ad
interiorem Dei cultum, fidem & pietatem, sive ad exteriorem
in Verbi prædicatione & Sacramentorum administratione po-
situm spectent.

*Explicatio
Iheseos.*

VI.
Continentur autem omnia dogmata sacris literis vel
explicitè & disertis verbis tradita, ut credentes in Christum
esse baptizandos; Vel implicitè, videlicet ea, quæ per immo-
tam consequentiam inde extruuntur, quale est dogma de pæ-
dobaptismo. Nam ut Nazianzenus inquit: Quædam in scri-
ptura sunt, & dicuntur, quædam in ea sunt, etsi non dicun-
tur.

*Testimo-
nia A fine
scripturæ.*

VII.
Fundamenta autem assertionis nostræ ex ipsa scriptura
sunt manifesta: Hic enim in fine est Propheticæ scripturæ, ut sit
Canon & regula fidei, secundum quam omnia dogmata sunt
dijudicanda, ut testatur Moses Deut. 31. Vbi vult coram omni
populo recitari verba legis, ut omnes audientes discant, &
vult libros suos in latere arcæ fœderis collocari in testimonium
contra incredulos, & eundem librum vult Regi notissimum
esse, Deut. 17, tanquam Canonem pietatis, ne inclinaret in
partem dexteram vel sinistram.

*Omnes
cōtrover-
sæ dijudi-
candæ ex
scriptura.*

VIII.
Sic Dominus ad Legem & Testimonium omnes de re-
ligione controversas remittit, Esa. 8. Et Christus ostendit do-
ctrinam Legis & Prophetarum sufficere ad salutem, nec esse
opus revelationibus aut traditionibus novis, Luc. 16. v. 30.

IX.
Nec tantum Scriptura veteris Testamenti ideo est confi-
gnata, ut Canon esset doctrinæ titulo traditionum multiplici-
ter ac sæpius corruptæ: Sed etiam in Novo Testamento, cum
sub traditionum titulo falsa dogmata spargerentur, Consilium
seriptionis primo inventum est.

10. Patet

X.

Patet hoc ex Actorum cap. 15. Vbi quidam Pseudoapostoli circumcissionis necessitatem gentibus obtrudere conabantur, tanquam ex Apostolica traditione: Huic errori cum occurrere vellent Apostoli congregata Synodo prima Ierosolymis, non tantum sententiam suam memoriae hominum certissimorum Pauli, Barnabae, Silae, & Iudae Barlabae committunt, sed, ne vllia in mentibus dubitatio relinqueretur Epistolam (quae inter scripta Novi Testamenti prima omnium videtur) addunt, qua quaestionem controversam determinant.

*Scriptura
opposita
falsis tra-
ditioni-
bus.
Primum
scriptum
Novi te-
stamenti.*

XI.

Deinde paulatim reliqua Novi Testamenti scripta, Deo rem miranda providentia gubernante prodierunt, ita vt integrum corpus doctrinae Christianae constituent. Et de suis quidem scriptis Lucas inquit: Luc. 1. Se omnia diligenter affectum esse, eaq; literis mandare velle vt lector doctrinae ασφάλειαν consequatur. Act. 1. v. 1. Se in historia Evangelica scripsisse de omnibus, quae Iesus cepit facere & docere. Etsi enim non omnia Christi dicta & facta scriptione complecti potuit: Tamen de *Omnibus* scripsit ea quae necessaria iudicavit, vt Ambrosius & Chrysostronus locum hunc illustrent.

*Luca scri-
pta.*

XII.

Iohannes quoq; qui post omnes Apostolos scripsit Evangelij historiam, scriptionis suae finem manifestis verbis proponit, Cum enim nonnulli post obitum Apostolorum Ecclesiam turbarent novis doctrinis tanquam a Christo traditis, & viva voce ab Apostolis propagatis, & non omnia Christi dicta & facta tribus Evangelistarum libris contineri dicerent, vt testatur Euseb. lib. 3. Cap. 28. Iohannes ex Parthmo reversus, Ecclesiarum postulationibus excitatus, ea quae in reliquorum Evangelistarum historia non erant consignata potissimum scribenda duxit, imprimis vero plurimas Christi conciones ab aliis omittas consignavit.

*Causa
scriptionis
Iohannis.*

XIII.

Ac ne hoc praetextu, quasi multa Dominus dixisset, quae scripta non sunt, denuo Ecclesia turbaretur, Evangelicam historiam non tantum suam sed etiam reliquorum Evangelistarum, quorum scripta legit & approbavit, sic concludit, vt quidem alia multa

*Euseb. lib.
3. cap. 24.*



multa quæ Iesus fecit, non scripta fateatur: Hæc autem, inquit scripta sunt ut credatis, quod Iesus est Christus filius Dei, & credentes vitam habeatis æternam.

XIV.

*Homo Dei
hoc est mi-
nister
verbi.* Idipsum confirmat Apostolus in 2. Tim. 3. quando scripturæ hanc tribuit efficaciam, quod possit hominem Dei facere perfectum, ad omne opus bonum apparatus: Ipsa igitur perfecta sit & integram bonorum operum regulam tradat, necesse est.

XV.

Adhæc is est scripturæ finis, ut per eam homines de Deo eiusque cultu rectè erudiantur & falsa dogmata confutentur: Quare ea Spiritus Sancti scriptoris & autoris horum librorum mens fuerit necesse est, ut quæ dogmata iisdem comprehensa non reliquit, de illis Ecclesiam erudiri noluerit.

XVI.

*Ang. lib.
2. de do-
ctrina
Christiana
cap. 9.
Hieron. in
Matth.
cap. 23.* Hinc est quod Patres orthodoxi, etsi multam mentionem faciunt traditionum: Tamen fidei Christianæ regulam & normam ad sola scripta sacra referunt, ut cum dicunt: In his quæ apertè posita sunt, in scripturis inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi. Item: Quicquid de scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

XVII.

NB. Imprimis vero illustris est sententia Augustini, magna asseveratione & religione prolata, quæ extat lib. 3. cont. lite Petiliani cap. 6. Si quis sive de Christo, sive de eius Ecclesia, sive de quacunque alia re quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam si nos, sed (quod Paulus adjecit) si angelus de cœlo vobis annuntiaverit, præterquam quod in scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit. Plura Patrum testimonia petat lector ex D. Chemnitij Examine concilii Tridentini, parte prima.

XVIII.

*De mori-
bus quæ
suo quar-
ta.* Expedita quæstione prima de dogmatibus ad fidem spectantibus simul quoque quarta quæstio de illis omnibus quæ ad mores & piè sanctèque vivendi rationem pertinent in scriptura comprehensus est demonstrata. Vtraque enim tam scripturæ quam Sancto-

Sanctorum patrum testimonijs comprehenduntur, vt patet ex præcedentibus.

XIX.

Ex quibus deniq; immota consequentia hoc concluditur: Quodcunq; dogma siue ad fidem, siue ad mores & opera bona spectans non potest ex scripturis sanctis probari, id in Ecclesia minime est ferendum: Secundum dicta: Matth. 23. Dogmate cere eos seruire, quæ ego præcepi vobis: Deut. 12. Non facias quæ tibi rectum videtur, sed quæ præcipio tibi, hæc tantum facito.

XX.

Secunda quæstio est de scripturæ perspicuitate: Vtrum videlicet omnia dogmata tam sint in Scripturis illustra, vt sine omni dubitatione inde a quouis percipi possint? Hoc enim verum est, qui fit, inquit adversarij, quod omnes heretici suos errores scripturæ testimonijs defendunt? quod non omnes quotquot scripturam legunt illorum dogmatum veritatem aperte agnoscunt? Imò quod inter eos, qui tantum ex scriptura dijudicari dogmata volunt, tot sunt de scripturæ intellectu dissensiones & acerbæ digladiationes?

XXI.

Hæc & similia etsi magno conatu & boatu Iesuitæ inculcant, tamen ridendi potius quàm audiendi sunt, dum manifestam causarum fallaciam committunt, quod enim hæreticorum improbitati & hominum cæcitati ascribendum erat, id illi scripturæ obscuritati acceptum ferunt.

XXII.

Non negamus esse quædam scripturæ sacrae loca intellectu difficilia, quæ interpretationem requirant, sed vniversam scripturam in tradendis fidei articulis ita obscuram esse, vt nullam certam sententiam inde extruere liceat, id vero pernegamus: Ea enim capita quæ ad summam Christianæ fidei spectant & ad salutem sunt necessaria perspicuis in scriptura traduntur.

XXIII.

Ideo enim Lex Dei vocatur perfecta illuminans oculos Psal. 19. Lucerna pedum & Lumen viæ Psal. 119. Sermo Propheticus est lucerna lucens in loco caliginoso 2. Pet. 1.

B

24. Quin

XXIV.

*Papistæ
Biblia vo-
cant here-
ticorum
librum.*

Quin etiam cum scriptura lectorem dicitur instituere ad salutem, eius perspicuitas simul asseritur, Si enim oracula celestia folijs Sibyllinis aut responsis Apollinis, quæ in vtramq; partem accipi poterant similia essent, cedo quæ nam ex illis peteretur salutis cognitio? Imò hæc injuria in Spiritum S. auctorem sacrarum literarum non obscure redundat, quasi is tam obscurum librum, hæreticorum omnium receptaculum, Ecclesiæ suæ reliquerit,

XXV.

Textus noster dicens: Quæcunq; præscripta sunt ad nostram doctrinam præscripta esse hoc ipsum confirmat: Si enim Scriptura nostræ διδασκαλιæ gratia edita est, obscura per omnia esse non potest: Obscuritatis enim nulla est in docendo utilitas.

XXVI.

Hinc Augustinus inquit: Quia in Scripturis multa figuratè & obscure dicuntur aperta deligamus, quæ si in scriptura non extarent, vnde illustrarentur obscura? Et Epist. 3. Nihil ferme de illis obscuritatibus eruitur, quod non sit alibi planissimè dictum.

XXVII.

*De inter-
pretatione
scripturæ
tertia
questio.*

*Stulticia
Jesuitarum.*

Ex hac Augustini sententia tertiæ quæstionis quæ de scripturæ interpretatione est, resolutio manifesta est: Quia enim non diffitemur quædam scripturæ loca interpretatione indigere, Quænam eius ratio esse debeat quæritur? Pontificij plenariam potestatem interpretandi Scripturas & decernendi de articulis fidei suo larvato Papæ ascribunt, Cui Scrinio pectoris & intimis medullis Spiritum Propheticum impactum arbitran-

XXVIII.

Sed nugas istas nulla Scripturæ autoritate, nulla ratione suffultas prætermittentes, regulam de interpretatione scripturæ traditam esse dicimus ad Romanos 12. *Propheta sit analogus fidei*, cuius explicationem in analysi duodecimi capitis huius Epistolæ traditam, benivolus lector inde petat.



XXIX.

Postrema quæstio est de usu Scripturæ spectante miserorum consolationem: Hunc Apostolus præsentis textu describens, nos per patientiam & consolationem scripturarum spem habere affirmat. Tribuitur Scripturæ ipsi id quod ea efficit videlicet consolatio & patientia, eaq; ad ultimum finem ad spei Christianæ amorem referuntur. Eundem usum expressit Apostolus. 1. Thes. 4. Consolamini invicem his verbis.

Quinta quæstio de consolationis usu.

XXX.

Cum itaq; scripturæ hæc sit utilitas, manifestum est, ea dogmata quæ consolationem & spem evertunt, eidem consentanea non esse: Tale est apud Pontificios dogma de perpetua credentium dubitatione, de gratia Dei: Vbi enim animus dubitat, nulla potest frui solida consolatione, nec potest confirmari spe, cum promissioni non firmiter assentiatur.

Dubitatio est scripturæ contraria.

XXXI.

Ejusdem generis est Calvinianum dogma de absoluta quorundam hominum electione ad salutem, eaq; tali quæ ex sensu interiorum motuum sit judicanda, & nulla incredulitate aut impietate vitæ everti possit.

Electio absoluta.

XXXII.

Hoc dogma duos scripturæ fines evertit, prout corda hominum sunt effecta: Alij enim sunt consternati & tentati, qui dum nullos motus Spiritus Sancti sentiunt, seq; ex Verbo & Sacramentis nihil de æterna salute certi statuere posse intelligunt, omni spe & consolatione penitus exuuntur.

XXXIII.

Nonnulli verò profani & securi, cum audiunt certos esse absoluto Dei decreto Electos, ita rationes secum deputant, vt omne pietatis & virtutis studium penitus abijciant, Sic enim statuunt, si in numero eorum, qui electi sunt fuero, aliquando vera fide cœlitus donatus in vitam perveniam æternam, Sin autem: Frustra omnem de æterna beatitudine ex Dei immutabili & æterno decreto mihi adempta, cogitationem suscepero.

Epicuræ dogma.



XXXIV.

*Baptismi
in efficacia
tollit con-
solationē.*

Non minus alterum quoq; dogma de baptis-
mi inefficacia in conferendo regenerationis dono, omnem piis consolationem eripit parentibus, qui de infantibus suis lavacro sancto tinctis ex Calvinistarum sententia non certò, sed tantum probabiliter statuere possunt ac debent, eos in foedus gratiae Dei susceptos esse.

XXXV.

*De absentia
Christi
qui homo
est, à terris*

Eadem nota quoq; dogma de absentia Christi quo ad carnem à societate Ecclesiae militantis impietatis arguitur: Est enim hoc quoq; consolationi inimicum, dum Christum fingit secundum humanam naturam in remotissimo caelorum loco existentem, neq; adesse nobis, neq; scire humana sua mente, quae sit Ecclesiae & singulorum hisce in terris conditio, neq; preces eorundem exaudire.

XXXVI.

*Christus
est Immanuel,*

Cum autem Deus noster nobis sine Christo ignis consumens sit, est omnino consolationis plenissimum quòd scimus nos in Christo & per eum aditum habere ad Patrem: Cumq; in hac vita non modo multis expositi simus periculis & afflictionibus, sed tandem etiam cum morte nobis sit luctandum, nihil est conscientiae consternatae suavius, nihil ad veram consolationem firmiter, quam praesentia Christi *Ἰεσουδωωω* qui ut noster Immanuel nobiscum est in tribulatione, nosq; adversus Satanæ furentes impetus potenti dextera tuetur & conservat.

XXXVII.

Hanc consolationem ex Christi secundum carnem praesentia in his terris, qui nobis eripiunt, non alia de causa, quam quòd eam cum principiis naturae pugnantem mente complecti non possunt, Eos non asserre doctrinam Spiritus S. quae ad solatium & spem teste Apostolo plurimum conducit, sed sua propria inventa Ecclesiae Christi obtrudere dubium non est.

Secunda Pars Capitis.

*Paulus
Romanorū
animos si-
bi concili-
at.*

HAc parte excusat Apostolus descriptionis suae *ἡμετέρας*, eiusque causas commemorat. Totaque pertinet ad benevolentiae captationem, cuius tum ubiq; tum inprimis orationis principio & fine rationem habendam mo-
nent

nent rei oratoriae periti. Primo autem occupationem in-
ferit, qua respondet tacitae objectioni de suscepto negotio mini-
mè necessario; Romani jam ante de omnibus partibus doctrinae
rectè sunt instituti, & donis Spiritus S. praeclare instructi ut se
in mutua informatione & admonitione aedificare possint, absq;
tam proluxa Pauli Epistola v. 14. Respondet Apostolus per
concessionem; Imò per asseverationem, qua fatetur non eam
sibi fuisse scribendi causam, quasi hoc suum officium Romano-
rum postulasset necessitas, inscitia vel impietas. Ita remouet à
se omnem arrogantiae & sinistrae existimationis de eorundem
pietate suspicionem. Huic remotioni veram subjungit causam *Audacius*
v. 15. Quo fatetur se non omnino sed quodammodo τολμησέναι *ex parte*
gop scripsisse, idq; tribus de causis; Primò ut Romanorum me- *vobis*
moriae inserviret eosq; de rebus jam ante doctrina perceptis uti *scripsi.*
liter commonefaceret. Secundò, ut officio suo Apostolico,
quo gentibus potissimum sit consecratus satisfaceret v.
16. Ineptissime hunc locum allegari à Pontificijs pro scrip-
turae imperfectione quivis intelligit. Hac occasione digreditur
in ministerij sui descriptionem. Vocat enim id λειτουργίαν E-
vangelij, ut fiat oblatio gentium munda & sanctificata in Spiri-
tu Sancto. De horum verborum sensu deinceps quaedam dicen-
da erunt. Tertia causa est, ut in intuitu divino obtemperaret: *Christus*
Scriptorum enim suorum & factorum eorum quae ad Deum *operatur*
sunt, hoc est ad gloriam Dei & utilitatem Ecclesiae seu obedi- *in Paulo.*
entiam gentium vergunt non se ait autorem esse, sed Christum
Iesum, v. 17. & 18. Huic ascribit verba & facta sua virtutem sig-
norum & prodigiorum, efficaciam Spiritus sancti, cursus prae-
dicationis & peregrinationum suarum, quibus à Ierosolymis
ad Illyricum usq; loca omnia impleverit doctrina Evangelica,
ac potissimum ea ubi ante non fuit annunciatus Christus, ne vi-
delicet super alienum fundamentum aedificaret. Sic autem hoc *Alienum*
loco appellat non ipsius Ecclesiae Christianae fundamentum, *fundamē-*
quod est Christus 1. Cor. 3. Sed ministerij Evangelici initium, *tum.*
ac dicit, se principaliter non concionatum esse in illis locis ubi
jam erant Ecclesiae initia & fundamenta posita. Sed ubi ne no-
men quidem Christi unquam fuerat auditum. Et hoc suum cur-
riculum congruere ait cum Prophetico testimonio Esa 52. v. 15.
Quibus non est annunciatum de eo videbunt.

DE

Sacrificiis Novi Testamenti.

I.

Multa est nobis cum Pontificijs contentio de *ἑυδωυμῶν* missæ sacrificio, quod cum insigni profanatione divini nominis & Sacrosanctæ Eucharisticæ institutionis, ex Sacramento transformant in Sacrificium, quo fingunt Sacrificulum offerre Deo Christi corpus & sanguinem, & hanc Missæ oblationem volunt esse *ἰλαστικὴν*, eaq; Dei iram placari & hominibus merita sacrificij Christi applicari sentiunt.

II.

De hoc portentoso in Christi meritum ac sanguinem, nec non religiosam Eucharistiæ institutionem blasphemio dogmate pauca quædam *ἠλεγκτικῶς* in medium afferemus, deq; veris sacrificiis Novi Testamenti nonnulla subjungemus.

III.

*Removen-
tur cogna-
te questi-
ones.*

Esse Cœnam Domini à Christo institutam & magna religione ac pietate in Ecclesia celebrandam, adesse quoq; in ea & communicantibus vna cum Symbolis pane & vino exhiberi & dari & ore ab eisdem, Sacramentali & mystico & supernaturali modo sumi verum & essentielle corpus Christi, quod pro nobis est traditum, & verum atq; essentielle Christi sanguinem pro nobis effusum, hac vice *ὑποδείσεως* loco alias demonstrata assumimus.

IV.

*Status
questionis.*

Sed hoc versatur in quæstione: Vtrum Christus Eucharistian instituens voluerit novum & peculiare sacrificium Novi Testamenti condere, in quo Sacerdos offerat sub panis & vini speciebus corpus & sanguinem Christi Deo Patri, ita, vt hac oblatione facta in altari expientur vivorum & mortuorum peccata intencionali Sacerdotis præsumptione comprehensa.

g. Mulo

V.

Multæ sunt in hoc prodigioso & blasphemò dogmate, chaos corruptelarum & errorum veræ doctrinæ de Eucharistia in Ecclesiam invehente depravationes, de transubstantiatione, de Sacerdotis intentione, de sacrificio ἱλαστικῶν panis & vini. Ex his alij errores extruuntur propemodum infiniti, de durabili concomitantia corporis Christi ad speciem panis, de circumges-
tatione & adoratione panis in ciborio inclusi. De his & simili-
bus erroribus alibi Deo volente & juvante erit dicendi lo-
cus,

*Papistica
Missa est
commune
receptaculo
multorum
errorum.*

VI.

Nunc breviter hoc tantum ostensuri sumus, Coenam Domini sacrificium Novi Testamenti non esse, interim vero alia opera fidei & charitatis a Spiritu S. tanquam sacrificia Christianorum Eucharistica prædicari.

*Nostra
thesis Pa-
pisticis op-
posita.*

VII.

Extra controversiam enim Sacrificium est opus, quo Deo aliquid secundum mandatum illius ab homine offertur certi cultus causa; Sed in Cœna Dominica Christus nihil Deo offerri præcipit. Sacrificium igitur propriè loquendo non est. In Assumptione κεινόμενον est, cuius affirmativa à Pontificijs ex textu est confirmanda.

VIII.

Probationem in re longè maximè momenti pudendam ac ridiculam proferunt adversarij: Facere, inquiunt, phrasi lin-
guarum latinæ, græcæ & Hebraicæ interdum significat sacri-
ficare: Esto sanè: Quid inde consequitur? Ergo etiam verba
Eucharistica, hoc facite, idem valent, ac si dicas, Hoc sacrificate.

*Facere est
sacrificare.*

IX.

Bella sanè ratiocinatio ex Pontificis tripode prolata, sed ex puris particularibus nihil concludens: Nulla enim consequentiæ ratio cogit verbum ποιῆν, in Eucharistica institutione interpretari per sacrificare.

X.

Et fraus alioqui manifesta est: Christus enim dicens, Hoc facite, respicit ad ea quæ à se facta fuerunt, eademq;
à nobis

*cœna
Christus
non a sacri
ficavit, sed* à nobis reperti in sui recordationem vult: Sed Christus in cœna
*sacrifici
sui memo
riam in
tulit.* non obtulit Missam neq. seipsum sacrificavit incruentè. Quod
quando Papistæ affirmant principium ineptè petunt.

XI.

Immota autem veritatis regula est: Nullum Sacrificium,
nullumve cultum Dei asseri posse, aut debere, sine expressa in-
stitutione divina; Frustra enim colitur Deus mandatis homi-
num Matt. 15. Quia quia caret Missæ sacrificium, id nihil
aliud quam horrendam profanationem esse divini nominis &
sacrosanctæ Cœnæ Dominicæ dubium non est.

XII.

Gen. 14. Allegant præterea Prophetica vaticinia ex Psal. 110: Tu es
sacerdos secundum ordinem Melchisedec: Si Christus Sacer-
dos est Ergo sacrificium aliquod habeat necesse est. Et sicut
Melchisedec obtulit panem & vinum, ita Christus in cœna in-
cruento sacrificio seipsum obtulit.

XIII.

*Melchise-
dec non
sacrifica-
vit panem
& vinum.* Sed quis non animadvertat in hoc Sophismate pudendam
principij petitionem: qua Melchisedec fingitur sacrificium pa-
nis & vini Deo obtulisse: Textus enim Geneleos hoc solum in-
nuit: Melchisedecum Sacerdotem Domini Abrahamo ejusq;
militibus in itinere reficiendis protulisse panem & vinum. Sed
quid hæc juvant causam Missaticam?

XIV.

*Sacrificuli
iterum
crucifigunt
Christum.* Alioqui Christum Sacerdotem esse Novi Testamenti non
negamus, eumq; obtulisse sacrificium verum videlicet seipsum
in ara crucis pro peccatis humani generis grata mente humili-
ter agnoscimus & libenter confitemur: Sed eundem Christum
denuo crucifigendum & in Missa Deo offerendum esse ex scrip-
tura nusquam deprehendimus.

XV.

*Præcipuū
argumen-
tum Papi-
sticum.* Sed prætermiscis alijs Papistarum fundamentis, unicum
adhuc quod ad præsentem Apostoli textum quam proximè ac-
cedit breviter excutiemus ex Prophetico Malachiæ testimonio
desumptum, Is enim de Novi Testamenti tempore agens sic in-
quit cap. 1. Ab ortu solis usq; ad occasum magnum est nomen
meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur no-
mini

mini meo oblatio munda, dicit Dominus. Ergo missa est illud sacrificium in quo fit purissima oblatio corporis & sanguinis Christi in cœna,

XVI.

Consequentiae futilitas cuius est obvia, dum videlicet per principij petitionem κενώμενον sumitur pro confesso. Esse in nouo Testamento & offerri Deo oblationem mundam non negamus: Quod autem illa sit Papistarum Missa, id in quaestione positum, nos constanter inficiamur.

XXII.

Describit Malachias isto textu cultum spiritualem Novi Testamenti verbis & Phrasibus sui seculi vsitatis in veteri Testamento, quod valde familiare est omnibus Prophetis. Aut enim verba Prophetæ propriè & κατὰ τὸ γινώσκον sunt intelligenda, aut figuratè. Si propriè, tum ea non ad Missam spectant sed ad iudaica sacrificia incensi & Minhæ, quæ hoc loco in omni loco offerri prædixit Dominus, Quod cum adversariorum confessione sit absurdum, consequens est, vt Prophetæ metaphoris sumtis à cultu Dei tunc temporis vsitato, Novi Testamenti spiritualem cultum describat,

Malachias verbis veteris Testamenti describit res novi.

XVIII.

Vera autem loci Prophetici explicatio ex Novo Testamento præspicua est, in quo aliquot Sacrificia sanctorum exprimuntur: Primum est prædicatio Evangelij, Rom. 15. v. 16. Dicit enim Apostolus se sacrificare Evangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritu S.

Sacrificia Novi Testamenti.

XIX.

His verbis non obscure Paulus alludit ad Malachiae testimonium, idq; interpretatur: Vt enim in Sacrificiis victimæ lotæ & mundatæ offerebantur super altari in odorem suavitatis Domino: Ita per Evangelium adducuntur homines ad societatem Ecclesiæ, & verbo purificantur corda eorum. Act. 15. v. 10. & offeruntur Deo tanquam gratissimæ hostiæ in Christo Iesu sanctificatæ per Spiritum Sanctum.

XX.

Secundò, Fidem ipsam piorum Apostolus vocat sacrificium. Phil. 2. v. 17. Ego immolor super sacrificio & cultu fidei vestræ hoc est, ideo in vinculis sum & mortem expecto

2. Sacrificium fidei.

C

quod

quod per Evangelij prædicationem vos Christo lucrifici ita ut fide eam amplectentes vos ipsos Deo obtuleritis tanquam Sacrificium.

XXI.

3. *Nova obedientia* Tertio Mortificatio carnis & studium novæ obedientiæ dicitur Sacrificium N. Testamenti Rom 12. v. 1. Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam Deo placentem.

XXII.

4. *Martyria* Quarto Martyria & persecutiones piorum propter Evangelij confessionem dicuntur Sacrificia Deo grata ut Philip. 2. v. 17. Ego immolor super sacrificio & cultu fidei vestræ. 2. Tim. 4. v. 6. Ego jam immolor & tempus resolutionis meæ instat.

XXIII.

5. *Preces* Quinto preces Sanctorum sunt sacrificia & incensa Apo. 5. v. 8. Odoramenta sunt preces sanctorum & Apoc. 8. v. 4. ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, Hinc gratiarum actiones dicuntur hostiæ laudis & victimæ labiorum. Heb. 13. v. 15. & Sacrificium laudis, Psal. 50.

XXIV.

6. *Eleemosinae* Sexto Eleemosinæ & contributiones ad sustentationem ministerij & pauperum vocantur victimæ & hostiæ. Phil. 4. v. 18. Accepi ab Epaphrodito quæ à vobis missa sunt odorem bonæ fragrantiae hostiam acceptam placentem Deo. Heb. 13. v. 17. Beneficiæ nolite oblivisci. Talibus enim hostiis placatur Deus.

XXV.

Vocatio gentium. Hæc omnia complectitur Spiritus S. in Prophetico oraculo Malachiæ, ac prædicit Ecclesiam Novi Testamenti non fore inclusam litimibus unius regionis aut gentis, sed magnum fore nomen Domini in gentibus & in omni loco oblationem mundam sibi oblatum iri à gentibus. Vident itaq; Papistæ nequaquam opus esse, quo Prophetico satisfiat oraculo, ut signamentum & ἑσθλυμα Missæ Pontificiæ stabiliatur, cum tot illustria sacrificia sanctis in Novo Testamento commendata sunt.

Tertia

Tertia Pars.

Postrema parte capitis de peregrinationum suarum cursu differit Apostolus, rationem reddens, quare haecenus Romam venire non potuerit, deinceps vero rationes suas ita comparare, & a se constitutum iter Hispaniente ita dirigere velit, ut Romam transeat & sanctos illius loci videat & complectatur.

Principio v. 21. impeditum se ait diligentia & labore praedicandi Evangelium illis in locis, ubi Christi nomen nunquam antea fuerat auditum, quo minus haecenus Romam visitaret, ubi jam ante nobilissima Ecclesia aliorum industria erat collecta.

Deinde Adventum suum Romanis pollicetur v. 23. 24. Commodissimèq; futurum existimat, ubi in Hispaniam iter fecerit v. 24. Poterant autem I. obijcere Romani, Quare non statim recta eò veniat, Respondet sibi nunc necessario aliud iter suscipiendum esse Ierolymam, ut eò deferat pecuniam in Macedonia & Achaia à Christianis in usum pauperum qui sunt Ierolymis spontè collatam. II. Poterant ijdem obijcere, quare Sancti, qui in Græcia sunt tales sumtus faciant in Iudæos, cum domi haud dubiè satis magnum numerum pauperum ipsi habeant. Respondet Paulus v. 27. Liberè hoc ab illis fieri ex proprio beneplacito, atq; adeò etiam meritò, argumento ducto à minori ad majus: Gentiles enim Spiritualium beneficiorum per Iudæos facti sunt participes. Decere igitur, ut vicissim temporalia sua bona Iudæis indigentibus promptè communicent. v. 28.

Tertiò, Finem sui adventus ad Romanos explicat, nimirum non quod ab ipsis aliquid exigere, sed quod coelesti gratia Evangelij & benedictionis abundanter eos implere velit. v. 29.

Quartò, Praevidens multas sibi objectum iri difficultates Ierolymis ortas partim ab infidelibus Iudæis hostibus Christi nominis, Partim ab invidis obrectatoribus, in medio Ecclesiae cœtu versantibus, qui ministerium Pauli colligentis Eleemosinas pro sanctis Ierolymitanis calumniabantur

tanquam suum quæreret in eo commodum. Prævidens inquam hæc mala magna contentione verborum orat, ut Romani secum in aciem descendant & adversus hostilem exercitum Diaboli precibus pugnent, quo ab infidelibus liberetur, & fidelibus ministerium suum sit acceptum, v. 30. & 31. Hæc duo si impetraverit. cum gaudio se ad Romanos venturum, seq; dulci consolatione Evangelij cum ipsis recreaturum fatetur v. 32.

Quintò deniq; caput hoc claudit Voto : Deus Pacis sit cum omnibus vobis; Amen.

THESIS I.

EX hæc tertia parte capituli unicum tantum thema quod in quæstionem vocari potest, breviter considerare lubet, videlicet: *Virum bonorum Ecclesiasticorum cura ad ministros Evangelij spectet?*

II.

Opinio
quorundam
ἀτάκτων
τῶν.

Sunt enim qui omnem curam circa reditus Ecclesiarum, agros & reliqua bona quibus Evangelij ministri & pauperes aluntur, & sacra ædificia conservantur, penitus ministris Evangelij Pastoribus & Superintendentibus ademtam volunt, eamq; Solis Politicis ut appellant personis propriam faciunt.

III.

I.
Apostoli
vero non
omnem
curam ab-
jecerunt.

Rationes instituti sui non videntur habere leves: Primò quidem illustris est sententia Apostolorum act. 6. qui ortam hæc de re quæstionem διαφέρουσιν sic definiunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis. Quod igitur Apostoli judicarunt iniquum, id ceu æquum & justum Ecclesiæ non est obtrudendum.

IV.

II.
Cura pau-
perum est
pars mini-
sterij.

Præterea ministris verbi officium docendi demandatum est, Necessè est itaq;, ut omne tempus ab administratione officij sui Ecclesiastici vacuum, lectioni & meditationi sacrarum literarum impendant, ut docet Syracides cap. 32. v. 26.

Adhæc

V.

Adhæc Politici viri rectius & melius possunt res eiusmodi tractare utpote commerciorum non ignari, quàm Pastores Ecclesiæ, qui primam ætatem in literis consumserunt & in dandis consiliis ad bona sacra pertinentibus parum sunt exercitati.

3.

Norunt

etiam

artes fal-

lendi.

VI.

Insuper: Bona Ecclesiastica maxima ex parte à civium aliorumq. Politicorum majoribus legata & Ecclesiæ concessa sunt. Ergo omnis administratio non immeritò eorundem potestis conceditur.

4.

Partim

vanum

est, partim

nihil con-

cludit.

VII.

Deniq; metuendum est, si ministris Evangelij aliqua cura bonorum Ecclesiasticorum concedatur, ne novus Papatus in Ecclesiam reducatur, & Pastores Ecclesiæ dominantur pro suo libitu in bonis Ecclesiæ & pauperum. Imò cum pervulgata sit de pastorum *ωλεονεξία* fama, metuendum ne si ipsi tractent talia bona, aliquid ex eis ad suos vsus decerpant, quod Iscario tem fecisse testatur Iohannes cap. 12.

5.

Hæc est

causa toti-

us institu-

ti, sed nec

pia neq;

vera.

VIII.

Ex his & similibus fundamentis concludunt rectè factum à Politicis suis majoribus, quòd sub initium renascentis Evangelij, collabente Papatu Romano in his terris, & profugientibus Monachis & sacrificulis, administrationem bonorum Ecclesiasticorum clericis ademptam ad se transfulerint & ex eis pro arbitrio stipendia & agros ministris Ecclesiæ assignaverint.

Et quidem

satis te

vniter &

parce.

IX.

Sunt contra alij qui contrariam & quidem veriolem sententiam, videlicet curam bonorum Ecclesiæ & pauperum potissimum & principaliter spectare ad ministros Evangelij.

Adversa-

tiva.

X.

Hanc defendunt exemplo Pauli Apostoli, hoc capite decimoquinto ad Romanos descripto, qui pecuniam ab Ecclesijs Macedonicis & Achaicis collatam & in rationes relatum ad se recepit, Pauperibus Ierosolymitanis reddendam; Quod si pe-

1.

Sed forte

tunc nulli

erant Po-

litici, qui

id onus in

se recipe-

rent.

si pecuniam pauperum tractare eamque distribuere pugnaret cum Apostolico officio, Nequaquam id Paulus fuisset facturus.

XI.

II.
Cura pauperum a
postolis
commen-
data.

Adhæc in Epistola ad Galatas cap. Secundo, ubi de pacto & mutua conventionem Apostolorum Petri & Pauli sermo est, ostendit Paulus sibi & Barnabæ, à Petro & alijs qui tum aderant Ierosolymæ Apostolis, peculiariter injunctam esse curam pauperum (v. 10. tantum ut pauperum memores essemus) Hoc non potest intelligi de cura docendi (sicut quidam *ἰμπαίκτης* stultè cavillantur) quæ ex æquo divites & pauperes complectitur, Sed de cura circa alimenta & sustentationem pauperum necessariò est accipiendum.

XII.

III.
Timotheo
mandatur
cura pau-
perum.

Idem Apostolus instruens Timotheum Ephesinæ Ecclesiæ Pastorem & Episcopum inter reliqua præcepta ad Ecclesiæ gubernationem spectantia etiam illud de cura pauperum & viduarum refert, & quidem non quomodo viduæ peculiariter docendæ, Sed quomodo in ministerium diaconatus recipiendæ & ex Eleemosynis alendæ sint monet. Verſ. 9. & 16. Et hujus rei curam Timotheo commendat qui profectò non fuit Politicus in Republica Ephesina mercator aut senator, sed Pastor Ecclesiæ.

XIII.

IV.
Furtum
Judæ pos-
sunt etiam
alii imita-
ri, qui non
sunt cle-
rici.

Præterea Christus ipse curam pecuniæ, sibi & reliquis Apostolis quodam pietatis affectu donatæ, Commisit non politico, Sed Vni ex Apostolis, Qui quanquam infideliter rem numariam tractavit, Tamen discernendum est furtum Judæ ab ordinatione & instituto Christi de quo h'c loquimur: Si enim administratio pecuniæ sacrae vel Ecclesiasticæ pugnaret cum ministerio Evangelico, Christus ipse eandem Apostolo nequaquam fuisset commissurus.

XIV.

V.
Apostoli
ipsi tra-
ctarunt
bona Ec-
clesiæ.

Allegant insuper Diaconorum Ecclesiæ quorum in Actis mentio fit exemplum: Cum enim Apostoli antea ipsi vacassent huic

huic muneri, & bona Ecclesiae pauperibus distribuissent: (quod nequaquam fuissent facturi, si illa duo munera essent incompatibilia ut dici solet) sed crescente Christianorum numero, non sufficerent huic negotio, constituti sunt communi Apostolorum & Ecclesiae iudicio Diaconi, quibus haec cura fuit commendata.

XV.

Sed hi non fuerunt viri politici, hoc est, alieni ab ordine Ecclesiastico cives aut senatores, sed clerici per impositionem manuum publicam ordinati, qui saepius muneri docendi vacabant ut exempla Stephani & Philippi ostendunt.

*Diaconus
quales in
primitiva
Ecclesia
fuerunt.*

XVI.

Et hanc rationem in Ecclesia perpetuo servatam fuisse Epistolae Paulinae ad Timotheum & Titum de Electione Diaconorum eorumque attributis multa tradentes, Nec non historia Laurentij qui Sylvestri Romani Episcopi Diaconus fuit luculenter id ipsum confirmat.

*Praxis
Ecclesiae.*

XVII.

Possunt denique ad thesin confirmandam ex Patribus & concilijs, quae ante Pontificis Romani dominatum celebrata fuerunt illustra proferri documenta, quibus cura bonorum Ecclesiasticorum personis commendatur Ecclesiasticis.

XVIII.

Sed in hac sententia simul observandum est quomodo o- nus hoc ministrorum Ecclesiae humeris a Spiritu S. impositum sit, videlicet non eo sensu quem contrariae opinionis argum- ta confictum praesupponunt & ad quem solum collimant: Quasi si minister Ecclesiae derelicto Dei verbo mensis ministrare, studia sacra negligere in bonis Ecclesiasticis dominari & ex eis quaedam surripere debeat. Quis enim haec per insignem calum- niam ministris verbi assignata probaret.

*Cautela
huius sen-
tentiae ca-
lumnys
opposita.*

*Diaconus
debent esse
collegae*

XIX.

Sed hoc vult Spiritus Sanctus & Ecclesiae primitivae praxis ut pastoribus sive Episcopis adjungantur aliae personae ex toto caetera delectae, quibus haec pars ministerij Ecclesiastici demandetur, qui per impositionem manuum solemniter in conspectu totius congregationis ordinentur,

*Pastoribus
illorum ju-
dicio bona
Ecclesiae
dispensare.*

quorum

quorum officium tanquam longè inferius pastorali ad inspecti-
onem Pastoris sive Episcopi spectet, ut is nimirum sciat quo-
modo bona Ecclesiae dispensentur, quomodo pauperes & mi-
nistri Ecclesiarum & Scholarum inde sustententur. Ideo in
scriptura non vocantur Domini ut nunc vulgò appellari gau-
dent, sed Diaconi & mensarum ministri, Act. 6, 1. Tim. 3.

XX.

Hinc patet solutio ad argumenta prius allata quae par-
tim falsa nituntur hypothese, partim calumniis gravant Evan-
gelij ministros, & stabiliunt impium dominatum, quem
quidam prae-textu Evangelicæ libertatis super mi-
nisterium & Evangelij ministros
affectant.

Soli Deo gloria,



AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA 17,17
EX EPISTOLA
PAULI AD ROMANOS,
proponens ἀνάλυσιν capitis de-
cimi quinti.

*Cujus positiones divina adjuvan-
te gratia*

PRÆSIDE DAVIDE
RVNGIO SACRÆ THEO-
logia Doctore & in Academia VVitebergensi
Professore, in Collegio disputationum
Theologicarum privato defendet
3 Septemb.

M. CHRISTOPHORUS ZECHERUS,
Norimbergensis.



VVITEBERGAE,
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.